



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 108. An votum nunquam peccandi sit de materia apta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

vovisti certo die jejunare , si eo die non pot
 jejunare, etiam non teneris abstinere à carnibus &
 Ita *Suar.* L. 2. c. 2. *Sanch.* L. 4. c. 10. n. 7. *Laym.* L.
 T. 4. c. 2. n. 3. *Castrop.* P. 8. §. 1. n. 10. *Tamb.* L. 3. c. 15.
Illsung T. 5. n. 90. *Gob.* à n. 76.

401 Q. 108. *An votum nunquam peccandi*
de materia apta. R. §. I. Votum nunquam peccandi
 mortaliter, item votum non peccandi venialiter
 deliberatè, item non peccandi certo genere venia-
 lium, v. g. mendacio, est validum: notat tamen res
Suar. c. 3. n. 3. facile dispensandum esse in talibus
 votis, eò quòd communiter plus periculi habeat
 quàm utilitatis, unde multò cautiùs emitti debent.

402 §. 2. Circa Votum nunquam amplius peccandi
 in genere, nec mortaliter nec venialiter, tres sunt
 sententiæ, 1. dicit talem voventem obligari
 ad vitanda mortalia & venialia deliberata, tum
 quia hæc pars est ab altera separabilis & moraliter
 observari potest , tum etiam quia tale votum est
 virtualiter triplex , quorum uno vovisset vitare
 mortalia, altero venialia deliberata, tertio venialia
 etiam indeliberata, de mortalibus autem & venia-
 libus deliberatis obligaret , neque prima voti
 debent vitari per posterius, quia *utile per inutile*
vitari non debet, uti habet regula Juris, & *Interpre-*
tatio facienda est pro valore actûs, ut tantum valeat
quantum potest, uti habet altera regula Juris, ita
Suar. num. 16. defendens hanc sententiam velut
 omnino probabilem. 2. quam *Suar.* dicit esse
 etiam probabilem & practicè tutam , tenet
 talem ad nihil obligari ex voto, tum quia materia
 illius est collectio mortalium & venialium cavendi-
 dorum , quod est impossibile ; tum etiam
 quia alioquin etiam obligaretur ad fugam
 certorum venialium minus deliberatorum ,

quæ adhibitâ speciali attentione vitari possent, nam etiam illa materia est moraliter possibilis observatu, ita *Sanch. c. 5. n. 10. 3.* melius distinguit, nam si habuerit expressam voluntatem non obligandi se ad fugam mortalium, nisi simul obligaretur ad fugam omnium venialium, Votum est irritum, ut patet, quia vovit rem moraliter impossibilem; si autem voluerit se divisibiliter obligare, & quantum obligari potest, tenebitur ad fugam mortalium, hæc enim est materia possibilis, ita *Castrop. num. 8.*

Q. 109. *Quid ergo dicendum sit de voto vitandi* 403
omnia etiam venialia. R. Suar. supra docet velut probabile, quod Votum hoc obliget ad vitanda, non tantum venialia deliberata, sed etiam absolute ad vitandam partem illam quorumcunque venialium, quam vovens sibi secundum prudens arbitrium determinaverit, sicut qui vovit jejunare per integrum mensem, & non potest nisi per medium, tenetur sibi secundum prudens arbitrium determinare priorem vel posteriorem partem, aut eligere dies interpolatos: è contra *Sanch. Busenb. & alii* absolute id negant ob rationem ante datam; si tamen voverit vitare omnia venialia, quantum in se erit, putat *Sanch. n. 13. & Lesf. de Just. L. 2. c. 40. n. 31.* vi voti teneri ad cavenda omnia, saltem adhibendo specialem curam majorem, nam propositum de his omnibus vitandis & de diligentia tali adhibenda est validum, ergo etiam votum: sed *Castrop. n. 9. & 12.* utrumque negat, quia omnia vitari non possunt, ergo omnia ex vi voti non comprehenduntur, ergo votum ad omnia & singula nunquam potest esse determinatum, ergo etiam ex vi voti non potest exigi, ut hæc præ illis mihi determinem vitare, & sic solvi-